

Mariales, alique. Silet Caesar Egassius Bulaeus in Historia Universitatis Parisiensis, ubi dissidia quaeque inter Academicos exorta refert, ac plurima recenset quae ipsa Universitas aut Facultas Theologica tulerunt censoria iudicia. Silent illi qui minus aequa aut iniqua in Thomam et in Ordinem Praedicatorum scripta vulgarunt, Petrus de Alva, Petrus a Valle clausa, Joannes Baptista Poza, Joannes Launois; Casimirus Oudinus, alique hujus farinae homines. In calce quatuor de Sententiis Petri Lombardi Librorum, et Tomo XXV. Lugdunensis Bibliothecae Patrum, quamplures prostant latae Pasisis censurae: neque ullum occurrit in triginta et octo theses, veluti ex Alberto Magno et Thoma Aquinate decerptas, censorium iudicium. Vulgo quidem iactabatur, theses nonnullas Divi Thomae, aut Philosophicas aut Theologicas, abs Stephano Tempier Episcopo Parisiensi censoria virgula notatas fuisse: sed hanc abrogatam censuram anno 1525, ab Stephano de Bourretto ejusdem Ecclesiae Antistite, « quatenus tangebatur, aut tangere » assecebatur sanam doctrinam Sancti Thomae, superius adnotavimus. In causa demum Joannis de Montesono, quae magna animorum contentione anno 1587 agitata fuit. « Nos nullies diximus », inquietabant Parisienses Doctores, « qualiter S. Thomae doctrinam in dicta nostra condemnatione (contra Montesonum) nequaquam reprobamus: » eademque condemnatione quatuordecim dumtaxat articulos continet. Hinc « dubitandi locus est (Mazzuchelli verba « sunt) aut Villanii narrationem a vero abluere, » aut privato quodam iudicio scriptoque Robertum « de Bardis triginta et octo theses a Thoma pugnant improbase, quae minime ipsi arridebant. »

II. Strenue pugnanti Mazzuchello vires addere liceat, ut quae censura a Villanio obrudatur, penitus convellatur. Applissimam Carolus Duplessis d'Argentré saepe laudatus in lucem protulit « collectionem iudiciorum (Ecclesiae, et insignium « Academicarum, inter alias Parisiensis, et Oxoniensis « etc.) de novis erroribus, qui ab initio duodecimi saeculi post Incarnationem Verbi usque ad annum « 1652, proscripti sunt et notati. » Sed inter haec iudicia vestigium nullum censurae in Vita Roberti de Bardis memoratae. Hujusce Viri gesta plura refert Bulaeus Tomo IV. Historiae Universitatis Parisiensis, et in Catalogo illustrium Academicorum, qui prostat in calce ejusdem Tomi, ubi haec habentur « Robertus de Bardis, Doctor in Theologia, « subscripsit anno 1552, determinationi Facultatis « Theologicae contra sententiam Joannis XXII, de « tarda visione beatifica. Idem anno 1556, factus « Cancellarius Universitatis. Obiit vero anno 1549, « cuique successit M. Joannes de Assiaco. » Ad annum 1545, Litteras Clementis VI. Summi Pontificis refert idem Bulaeus, datas « Cancellario Ecclesiae Parisiensis », qui « tunc erat, » eodem Bulaeo adnotante, « Magister Robertus de Bardis », ut promoveret ad gradum Magisterii Rogerium de Palhariis. Haec vero, non alia, ejusdem Roberti gesta in laudata Universitatis Parisiensis historia recensentur: eoque temporis intervallo, cum plures in erroneos articulos latae fuerint censurae, nulla occurrit quae Alberti Magni ac Thomae Aquinatis theses notaverit.

Dignum est animadversione, Robertum de Bardis in ea anni 1552, contra sententiam de tarda visione beatifica Facultatis Theologicae « determina-

« tione » subscriptum legi « Doctorem », nondum Cancellarium: quo tunc munere fungebatur Guillelmus Bernardus. Discimus vero ab laudato Bulaeo, munus istud ab anno 1549 administrasse Joannem de Assiaco ad annum 1560, Grimerium Bonifacii ad annum 1570, Joannem de Calore ad annum 1580, Joannem Blanchardum ad annum 1587, Joannem Guigueurtium ad annum 1587, Petrum de Alliaeo ad annum 1595, quo ipse Cancellarium ejuravit in gratiam Joannis Gersonis. Quorsum haec omnia? Ut liquido pateat, errorem propinari a Villanio et Landino, qui Robertum de Bardis Cancellarii Parisiensis munere functum narrant annis quadraginta (« la quale Cancellaria governò circa « anni XL, » ait Villanius: « il quale fu Cancelliere « dello studio per lo spazio di quaranta anni », ait Landinus); quo ex numero sex et viginti anni demendi sunt. Mortem obiisse Robertum anno 1549, testatur Bulaeus: non apparet emortualis annus in Codice Villani, quem publici juris fecit Mazzuchellus: hunc vero annum Christi 1592, definiunt Michael Pocciantius saeculi sexti decimi scriptor, et Hieronymus Negri. An ergo Robertus anno 1549, quem designat emortualis Bulaeus, potius Cancellarii munus abdicaerit? Praesto mihi non sunt monumenta, quaeis difficultas, si qua est, tuto expediatur. At si iudicium censorium in articulos erroneos (dixerim ego) inveniri nullum potest, quod Roberto de Bardis, dum Cancellarii munere fungebatur, pro ea tribuendum sit, qua potiebatur. Bulaeo adnotante Tomo IV citato, Dissertatione prima, Cancellarii Parisiensis facultate; jam eo fidentius adserendum videtur, haud unquam censuram aliquam, maximeque in Aquinatem inter caeteris recens cooptatam, latam ab eo fuisse, veluti Doctore Parisiensi; qui poterat quidem pro data occasione in consilium vocari, sententiam ferre ac definitionem non poterat.

Quid est vero quod ipse « post Magistrum Sententiarum (dopo il Maestro delle Sentenze », ut ait Villanius), damnaverit etc.? An fuerit ipse, qui celeberrimi hujusce Auctoris naevos patefecerit, ac etiam notaverit? Ad « quatuordecim capita » eos revocat Sanctus Antoninus in Summa, Parte IV, titulo 11, Capita 8, et « sex supra viginti » numerantur in Additione ad ipsum Magistrum typis excusa, ut Bellarminus adnotat: ad hujusmodi animadversiones nemo haecenus Roberto de Bardis adjudivit. Quid est praeterea quod ipse « damnaverit triginta et octo errores, ex Alberto Magno « et Thoma Aquinate decerptos? » An solus ipse, an ab Antistite Parisiensi in consilium vocatus, an simplex Doctor et Magister, an Cancellarii munere fungens? Haec praeterit omnia Villanius. An solemnis haec fuerit condemnatio? Sed acta publica et monumenta proferantur nulla. An privatum ipsius Roberti dici debeat examen et iudicium? Illud ergo Villanius nimium amplificat. Ait enim: « Fu di tanta autorità » (ampullatur nempe), « che questa erronea dannazione » (utique erronea, et damnanda ipsa condemnatio foret) « nessuno « poi ha ardito in alcun passo riprovare » (pergit ampullas nimia confidentia projicere Villanius).

Tot ergo vitii cum seateat narratio Florentini Historici; nullus dubito quin etiam cubet error in ea narrationis parte, quae latae censuram refert in triginta et octo Alberti Magni et Thomae Aquinatis theses. Fabellam ergo sciens et volens pro-

euderit Villanius, quam alii post ipsum eecimere? Deceptus erravit: originemque erroris mihi videor detexisse. Paucis animadvertdenta propono, quae latiore Sermone Capite 2 enarrata sunt: « Robertum de Kildwardbi » Archiepiscopum Cantuariensem in Anglia « triginta et unum », vel « triginta », ut alii numerant, anno 1277, damnasse articulos, quorum nonnulli philosophica Thomae dogmata enunciant: hanc censuram, tametsi ornatissimi Viri eam improbant, a Joanne Pekamo in eadem Sedem suffecto confirmatam esse anno 1284, et anno 1286 alios « octo » additos fuisse ab eodem Pekamo, damnatosque articulos, qui Thomae doctrinam de unitate formae substantialis in homine, ac inde deducta consecraria complectebantur. Naetus itaque fuerit Villanius manuscriptum quemdam Catalogum

« triginta et octo » hujusmodi articulorum: inscriptum legerit « Robertum », istius censurae, quod ad majorem articulorum partem attinet, auctorem: ipsumque denique cognomen « de Kildwardbi », aut difficili compendiarum nota scriptum, aut litteris evanescentibus obscuratum, aut praecipiti oculo lectum, mutaverit in cognomen « de Bardis », adeoque latam censuram illam a « Roberto de Bardis », dum Parisiis degeret, et Cancellarii fungeretur munere, crediderit. Quidni enim res ita se habeat? Articulorum « triginta et octo » numerus, « Thomae « Aquinatis » ac etiam Alberti doctrina in eisdem contenta nomenque « Roberti » qui censuram tulit, conveniunt: ac facile demum fuit, cognomen « de Kildwardbi » ob eas, quas inuimus, causas in illud commutare « de Bardis ». Haec satis.

DISSERTATIO III.

DE INNOXIA SANCTI THOMAE AQUINATIS DOCTRINA, QUAE PARIENSIBUS ET OXONIENSIBUS CENSURIS PERPERAM ET IMPERITE ET PER INJURIAM NOTATA DIGITUR.

CAPUT I.

Censura immune ostenditur Theologicum dogma de affluentiore dono gratiae, altis et aliis Angelis concessio, pro naturae eorum discrimine. Itemque de potentia Dei, quae ad unum qui conditus est, coactari mundum videtur.

I. Censurarum historiam, quae plures in articulos abs sciolis quibusdam ambitiosisque hominibus vulgatos pugnatosque, praehabito Magistrorum in Theologia consilio, Parisiis et Oxonii latae sunt a Gallis et Anglis Episcopis, tertio decimo aerae christianae saeculo, diligentiore opera enarravimus superiore in Dissertatione. Censorias litteras illas, quae ab Stephano Tempier Parisiensi Episcopo anno 1277 datae fuerunt, cum per eas notata et confixa iactarentur non pauca Sancti Thomae, sive Philosophica, sive Theologica dogmata, supprimi, et aboleri jussit coepo saeculo insequente Stephanus alter de Bourretto ejusdem Ecclesiae antistes, « si Thomae » quidem « doctrina « tangenter. » Neque in haec iudicio haesit doctissimus Praesul; sed pro infectis revocatisque habendis esse litteras easdem, eo prudentissimo adhibito temperamento decrevit, « quatenus » eandem Sanctissimi Praeceptoris doctrinam « tangere adse-rebantur. » Abrogantes hujusmodi litteras loco memorato recensimus, notisque illustravimus: earumque, cum in dubium vocatae fuerint, fidem, et *suberitax* pro virili tutati sumus. Hinc vero nominis et famae et existimationi Thomae Aquinatis, ejusque doctrinae integritati satis superque consultum, nemo prudens ac doctus inficias ibit.

Sed adhuc Praeceptoris Angelici ejusque doctrinae celebritati nonnihil studii nostri litandum est. Seligere nonnullos liceat praecipuos articulos censoria Parisiensium et Oxoniensium iudiciorum virgula olim notatos, adhibitosque contra Thomae doctrinam a Lamarcae, adhibitosque sequioris aemulis; eosque diligentissime conferre cum Thomae S. Th. Opera omnia. V. 7.

dogmatis iis, quae litterae cortice inspecto consona videntur; ut collatione facta, severoque instituto examine, splendidissime innotescat demum, nihil in ipsius Aquinatis doctrina inesse, quod vel 'ex levi etiam suspitione ad illas redigi censuras poterit.

Age vero; rem ipsam aggrediamur. In Censura Guillelmi Parisiensis Episcopi, nonus damnatus Articulus his verbis effertur: « Qui habet meliora « naturalia, de necessitate habebit (al. *habet*) « majorem gratiam et gloriam. » Tum opposita exponitur veritas: « Quod secundum praedestinationem et praedestinationem Dei, a Deo dabitur « gratia et gloria. » Errorum hunc ab Aquinate post ipsius Guillelmi censuram instauratum fuisse elamant, in 2. Distinct. 5; et I P. Qu. 62. Art. 6. et Qu. 108, Art. 4. Quo postremo in loco sic ait ille: « Angelis data sunt dona gratuita secundum capacitatem naturalium; quod non est in hominibus. » Rem hanc loco altero data opera pertractat: « Rationabile est, » inquit, « quod Angeli qui meliorem naturam habuerunt, et etiam fortius et efficacius ad Deum sint conversi. . . . Unde « videtur, quod Angeli qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia et gloria. » Quibus demum paria sunt, quae habet loco primo citato, Qu. 1, Art. 6, in fine.

Oculi sint oportet caligine obruti, qui longe discrepantes theses non vident: ac praedudiciorum tenebris infuscata mens fuerit, quae damnatum Articulum confundat cum Sancti Thomae doctrina. Absolute et universim angelos et homines complectitur Articulus damnatus: de Angelis dumtaxat loquitur Aquinas. Erroris juxta in eo positum est, quod « meliora naturalia, » sive Angeli sive hominis, tanquam dispositiones accipiuntur, quae proxime cum « gratia et gloria » proportionem habeant: ipsaque « gratia et gloria » conferri « de « necessitate » dicuntur juxta « meliorum naturalium » mensuram. Quam longe differt Thomisticum dogma! « Meliora » Angelorum « naturalia, » nonnisi ut occasionem quandam remotam respici-

a Deo docet Aquinas in elargitione gratiae; unamque promovet divinae Providentiae decentiam, quam sibi Deus in donorum supernaturalium distributione pro sua ipse libertate suaeque sapientiae consilio praestiterit. Hinc id esse «rationabile», inquit ille: «diversosque» ait, «naturae Angelicæ gradus videri» (verbum animadvertente crisi Theologica plenum) «ordinatos ad diversas gratiae et gloriae gradus.» Cur vero Angelos inter et homines discrimen posuerit Thomas? Francisci Sylvii Commentarium accipe, quo discriminis ratio egregie illustratur ibidem Q. 62, Art. 6: «Alia ratio est de Angelis quam de hominibus. 1. Quia Angelorum natura erat integra et incorrupta: homines vero dignitatem naturae suae peccando amiserunt, adeo ut secundum corpus et animam in deterius sint commutati. 2. Quia in hominibus est aliquid quod potest impedire vel retardare motum intellectivae partis, nimirum inclinatio partis sensitivae; non autem in Angelis. Cum haec responsione conferri potest Articulus tertius viciesimae quartae Quaestionis in 2-2. Ubi ad examen vocatur utrum Caritas infundatur secundum capacitatem naturalium.

Quod Aquinatis dogma unius ambabus frequentius Theologi amplexati sunt: quibus ultra consentit Dionysius Petavius Libro 1 de Angelis, Capite 16, num. 8: «Sed et ipsi Angeli, inquit, alii alius affluentiore gratia ditati sunt, pro eo atque naturae praestantioris erant, si Magistro Sententiarum credimus. . . Cui et S. Thomas ad stipulatur, pro gradus ejusque dignitate dona gratiarum ac perfectionem beatitudinis collata esse docens. Etenim uti Angelorum natura ad gratiam et gloriam a Deo facta est: ita diversi naturae Angelicae gradus ad diversos itidem gratiae gloriaeque gradus ordinati sunt: quemadmodum architectus, ex eo quod certos lapides aliis elegantius accuratiusque perpolit, videtur eos ad digniorem aliquam aedum partem destinare.» Haec sunt videlicet, tum ipsum decentiae argumentum, tum exemplum appositissimum, ac eadem ferme verba, a Sancto Thoma adhibita. Una in re praeverat S. Basilii de Spiritu Sancto Capite 16 num. 58: «Juxta proportionem excellentiae (seu pro excellentiae modo) «qua se invicem superant» (Angeli) «a Spiritu habent sanctificationis mensuram.» Rem judicat Gregorius Nazianzenus: eamque videtur in medio relinquere Oratione 40. «Haud novi, inquit, «sive pro gradu stationis illuminationem participet» (natura Angelica): «sive pro mensura illuminationis gradum accipiat.» Priorem partem verbis conceptissimis definit Damascenus libro 2 de Fide orthodoxa, Capite 5. «Per Verbum omnes Angeli creati sunt. «et Sancto Spiritu sanctificationem consummationem» acceperunt, ut pro sua quisque dignitate et ordine, splendoris et gratiae participes essent.»

Purfure Pelagiano conspersam hanc Thomae, hanc Sanctorum Patrum doctrinam si quis dixerit, truncas ac stipites esto. Neque enim quidpiam in Angelis «naturale» extollitur, cui munera gratiae debita fiant. Una Dei sapientia et voluntas laudatur, quae sicut pro libito consilioque nobiliores Angelos, alios alius, condiderit: ita pro gradu nobilitatis ad excellentiorem gratiam eos ordinaverit. Sapiens haec est Sancti Thomae animadversio loco citato ad 1: «Dicendum, inquit, quod sicut

«gratia est ex mera Dei voluntate, ita etiam et natura Angeli; et sicut naturam Dei voluntas ordinavit ad gratiam, ita et gradus naturae ad gradus gratiae.» Hinc demum nullum in Angelis, eorum natura spectata, meritum agnovit ille, cui dona gratiae elargiri Deus debuerit: «Dicendum, (inquit Art. 4 ad 2) quod conversione naturali Angelus non meruerit beatitudinem; sed conversione caritatis, quae est per gratiam.» Abeat ergo «Articuli damnati» instauratio illa, quam primus Divo Thomae affingere ausus est Guillelmus de la Mare.

II. Thesim aliam Aquinatis, quae potentiam Dei ad unum, qui conditus est, coartatam mundum videtur, cum aliquibus censura notatis Articulis confere, subjunctis animadversionibus illustro, ut insignia plura innotescant discrimina. Mirum est, item hanc intentari aliquando potuisse!

Ex censura Parisiensi. Ex Sancto Thoma P. 1, Q. 47, Art. 3, ad 5.

54. «Quod prima «Dicendum, quod causa non posset plures mundos constare ex sua res mundos facere. A- tota materia. Non enim pud Eimerium in Dili- est possibile esse a rector. P. 2, pag. 258, «liam terram quam iam col. 2, num. 7. Quod «stam, quia omnis terra Deus non posset alium «fertur naturaliter ad mundum facere: quia hoc medium, ubicumque quidquid fit, ex praecedente «esset. Et eadem jacente materia fit: iste «ratio est de aliis cor- autem mundus constat «poribus, quae sunt partes ex sua tota materia. «tes mundi.

ANIMADVERSIONES.

1. Quod in articulis damnatis notum tritumque adsumitur axioma: «Quidquid fit, ex praecedente materia fit, quemadmodum in secundis creatis, quae causis locum obtinet, ita ad incretam supremam causam si transferatur, purum putumque Ethnicorum turpe commentum est passim, in operibus suis ab Aquinate convulsam.

2. Latissimum animadvertit quod articulos damnatos inter ac innoxiam Thomae doctrinam intercedit discrimen. In illis «Mundus iste dicitur «ex tota sua materia constare, scilicet «praecedente, quam minime Deus condiderit; quo posito pagano et impio principio: aequo paganum et impium et falsum colligitur consequens: «quod «prima causa, vel Deus, non posset plures mundos «dos facere.» Aquinatis nostri et Christianorum certa sententia est, «mundum constare ex sua «tota materia,» ex illa nempe quam pro suae consilio sapientiae voluit Deus efficacissimo imperio producere ex nihilo, productivae. Hinc damnatis articulis ex diametro adversatur quae fluit inde conclusio.

3. Quisnam praeterea germanus haberi debeat, quem Thomas intellexerit, verborum illorum sensus, «Mundus (inquit) constat ex sua tota «materia,» a Deo scilicet creata; ex argumento contrario exseculpi debet, ubi «Mundus cum sua «materia» comparatur «huic homini» habenti «formam in materia.» Res imo non ita se habet. Neque enim «hic homo» tota potitur materia quam homo habere potest: homo (inquam)

CAPUT II.

Vindiciae Theseos de sola, quae numerica vocatur, inter Angelos differentia ab Aquinate rejecta. Deque adserta Angelorum praesentia ad locum per operationem: quae ejusmodi sit, explanatur. Ac demum de rationalis animae, aut mentis humanae, salva unitate speciei, diversa perfectione: ejusdemque diversitatis origines.

I. Parisienses articulos jam profero illos, qui ad eam pertinent, quae inter «Separatas Intelligentias,» ut ajunt, sive Angelos constitui differentia debet. Mirum sane, quantum ingenii, ac studii impensum fuerit, ut inde Aquinatis doctrinae conflaretur invidia.

Ex censura Parisiensi. Ex S. Thoma P. 1, Q. 47, Art. 4.

81. «Quod quia intelligentiae non habent materiam, Deus non potest facere plures ejusdem speciei.»

«Duplex distinctio invenitur in rebus: una formalis in his quae differunt specie: alia vero materialis in his quae differunt numero tantum. Cum autem materia sit propter formam, distinctio materialis est propter formalem. Unde videmus, quod in rebus incorruptilibus non est nisi unum individuum unius speciei: quia species sufficienter conservatur in uno.»

96. «Quod Deus non potest multiplicare individuum sub una specie, sine materia.»

«Alia addo verba, quae Artic. sequente 6, ad 1, prostant: nempe: «Potest dare rebus a se factis meliorem modum essendi, quantum ad accidentalia, licet non quantum ad essentialia.» Haec affero lubentissime, quibusdam etiam placitis utique adversa, quae ex illa ab Leibnizio inventa, a Wolffio illustrata, «Modum et Harmoniae praestabilitae philosophia eliciuntur, ac magna cum laude, plus ut puto quam par est, excipi solent. Haec de re adhuc in alia agendum est Dissertatione XXIX, adversus Heterodoxum Petrum Zornium, ac etiam contra Petrum Aliacensem Parisiensem Theologum.

97. «Quod individua ejusdem speciei differunt et a positione materiae, ut Socrates, et Plato.»

«Q. 50 Art. 5. Ea quae conveniunt specie et differunt numero, continentur in forma; sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia et forma, sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei.»

ANIMADVERSIONES.

I. Ad illud controversiarum genus, quas in utramque partem agitari in scholis, et pro alterutra dirimi parte integrum est, quaestio spectat ab Aquinate mota de Angelorum inter se discrimine, deque intercedentis discriminis modo ac ratione. Haec de re nihil divinitus Ecclesiae catholicae traditum est, quod hanc Angelorum differentiam, qualis ea demum constituenda sit, clare delegat ac patefaciat. Amplissimum inter Latinos Patres testimonium fert Augustinus, qui contra Priscillianistas ad Orosium, cap. 10, num. 14: «Esse itaque Sedes, ait, Dominationes, Principatus, Potestates in caelestibus apparatus, firmissime credo, et differre inter se aliquid indubitata fide teneo; sed quanam ista sint, et quid inter se differant, nescio.» Par est Joannis Damasceni sententia, ornatissimi ex Ecclesia Graeca Theologi, lib. 2 de

Fide Orthodoxa, Cap. 5: « Quoad essentiam, » in-
 quientis, « aequales ne sint Angeli inter se, an
 « disparet, compertum non est: solus hoc scit
 « Creator illorum Deus, qui universa explorare
 « novit. » Hinc sapienter a Theologis nostris animad-
 versum, vel questionem hanc apud veteres Patres
 praetermissam esse: vel si quidpiam videatur ab
 iis adsertum, quod significet aut essentiae seu spe-
 ciei unitatem, aut certe gradum, seu, « collustra-
 « tionum » distinctionem, id facile exponi posse, ac
 utrique adaptari opinioni, sive quae « numericam »
 tantum in Angelis differentiam, sive quae « nume-
 « ricam simul et specificam » in omnibus agnoscit
 ac propugnat. Iniqua fuerit ergo Censura Parisien-
 sis, opinioni ab Aquinate selectae notam si intus-
 crit, quam doceri ac defendi haud vetat Scriptu-
 rarum auctoritas, neque traditio Patrum, neque
 ullum Ecclesiae decretum, neque frequentior inter
 Patres consensus.

2. Quaestio duplex distingui adsolet: altera quae
 factum, et altera quae rei possibilitatem versat.
 Magni nominis viri inter discipulos Thomae opi-
 nantur, nil aliud ab Angelico Praeceptore propu-
 gnari, nisi re ipsa Angelos omnes, quotquot a Deo
 creatore conditi sunt, numero simul ac specie inter
 se differre. Ita sentientes memoro Capreolum, Fer-
 rariensem, Bannezium, Estium, Sylvium. Permissam
 vero ab Aquinate Angelorum, qui numero tantum
 differant, possibilitatem textu quodam putant illi
 proveri posse, qui legitur in Opusculo 16 contra
 Averroem, « de unitate intellectus, » his verbis con-
 cepto: « Valde ruditer argumentatur ad ostenden-
 « dum, quod Deus facere non posset quod sint
 « multi intellectus ejusdem speciei, credentes hoc
 « includere contradictionem. Dato enim quod non
 « esset de natura intellectus quod multiplicare-
 « tur; non propter hoc oportet quod intellectum
 « multiplicari ineluderet contradictionem. Nihil e-
 « nim prohibet aliquid non habere in sua natura
 « causam aliequius, quod tamen habet illud ex alia
 « causa Sic ergo intellectus, si naturaliter
 « esset unus omnium, quia non haberet natura-
 « lem causam multiplicationis; posset tamen sorti-
 « ri multiplicationem ex supernaturali causa. Difer-
 « rant ergo re ipsa ecclesiae intelligentia et nume-
 « ro et specie (inquit illi, allatam Thomae do-
 « ctrinam ad institutum trahentes), propterea quod
 naturali carent illius differentiae principio qua ab
 sese individua separantur, scilicet materia, vel or-
 dine ad multiples materiae portiones: nondum
 sane contradictio apparet, qua Angelorum multitudo
 solo numero differentium impossibilis adseri debeat.
 Id unum ergo si voluerit, docueritque S. Thomas,
 jam ejus doctrina totis parasangis distat ab arti-
 culis Censura Parisiensi notatis: utpote qui tum
 rem ipsam, quae facta est, tum etiam possibilitatem
 inficiantur.

3. Haud me quidem latet, hanc praestantissimis
 Divi Thomae discipulis dissonam videri menti ejus
 interpretationem, simulque ablutentem a vero obi-
 legati textus expositionem. Sumitur (inquit)
 sententia Aquinatis ex natura actus, quem « irre-
 « ceptum » vocat, haud unquam ordinabilis ad
 varias multiplicesque portiones materiae, adeoque
 integram totius speciei perfectionem in uno obi-
 tensis individuo. In eo vero contra Averroistas
 Opusculo argumentationis potius modum quam rem
 ipsam arguit et insequitur, ut ejus verba evincunt:

« Quod non tactum dicimus, iniquentis, propter
 « propositum, sed magis ne haec argumentandi
 « forma ad alia extendatur: sic enim possent con-
 « cludere, quod Deus non potest facere quod mor-
 « tui resurgant, et quod caeci ad visum reparentur.
 « Itaque existimaverit Thomas, Angelorum naturae,
 cum sint « actus irrecepti, » solum numericam
 individuorum multiplicationem repugnare. Quaestio
 est, quae pendet ex alia de « principio » quod
 vocant, « individuationis: » quod aliter aliterque,
 salva catholica fide, constituere, integrum sibi ar-
 bitrantur Metaphysici. Hinc Censurae Parisiensis
 levitas innotesceret, si philosophicas innoxias theses
 notasset.

4. At verborum cortici, quem praefertur arti-
 culi damnati, haerendum non est. Stiprem ac
 intimam scrutari medullam oportet. Principium
 individuationis multiplici inquinatum errore obru-
 debant scilicet ac vani homines, articulorum adserto-
 res. Putre commentum est, quod esset Articulus
 117. « Quod scientia magistri et discipuli est una
 « numero. Ratio autem, quod intellectus sit unus,
 « est, quia forma non multiplicatur, nisi quia edu-
 « citur de potentia materiae. » Ita nempe indivi-
 duationis principium petulantes Academiae quidam
 in materia reponendum esse vulgabant, ut ex eadem
 educi formas illas oporteret, quae numero differ-
 rent. Inepta et impia et falsa excogitatio; ex qua
 tamen thasim inferrebat per se innoxiam pluri-
 busque Theologis et Philosophis probatam. « Quod
 « quia intelligentiae non habent materiam, Deus
 « non potest facere plures ejusdem speciei. » Non
 ita Aquinas, non ita ceteri ejusdem cum ipso sen-
 tentiae Auctores: qui de numerica rationalium ani-
 morum differentia disceptantes, ex eo individuationis
 principio illam repetunt, quod est materia, vel ordo
 ad portiones materiae, non ex qua educi debeant,
 sed ad quam ordinantur, et cum qua ununtur, ad
 humanae naturae singularia individua conformanda.
 In eo, quod Aquinas amplexus est, Philosophiae
 sistemate, nihil est absurdum, quod ecclesiastica vel
 theologica censura notari debeat.

5. Sordes alias, quibus principium individua-
 tionis inquinatum censuram Parisiensem, praefatus
 indicat Articulus, magisque expressas enun-
 ciat Articulus 97. « Quod individua ejusdem
 « speciei differunt sola positione materiae, ut So-
 « crates et Plato: et quod, forma humana existente
 « in utroque eadem numero, non est mirum, si
 « idem numero sit in diversis locis. Averroisticis
 commentis imbuti adsertores, propugnabant nume-
 « ricam et individuaalem, quam dicimus, differentiam in
 ea solum forma locum habere quae de potentia ma-
 teriae educitur: quod si forma detur, quae non edu-
 catur ex materia, « sola tunc positione » ejusdem
 materiae » constitui individua, eademque « sola
 « positione materiae » differre sub una specie:
 formam videlicet ipsam unam omnino remanere,
 numero vero distinguere materiae portiones, ac di-
 versis materiae portionibus unam inesse eandemque
 formam. Hinc vulgata apud illos delita sententia,
 « unam numero » magistri scientiam esse et di-
 scipuli, « et unum numero intellectum quem agen-
 « tem et mentem » vocabant, in omnibus naturae
 humanae individuis. Ad rationales animos quod
 attinet, dissidant. Fatebantur alii, non eos educi
 ex potentia materiae, sed ex nihilo procreari a
 supremo Numine; unde insana ipsorum erat con-

secutio, « formam humanam existere in utroque
 (Socrate et Platone) eandem numero, » nume-
 rica differentia portiones dumtaxat materiae affi-
 ciente. Eo demantiae devenerant alii, ut contende-
 rent, « formam hominis non esse ab extrinseco
 « (verba sunt articuli 105), sed educi de potentia
 « materiae, quia aliter non esset generatio univoca »
 quo ex ipso principio veram conclusionem eli-
 ciebant, quae numericam statuit inter ipsas ratio-
 nales animas differentiam. Haec sunt impia et
 insana commenta, quae Parisienses nonnulli vani
 ac petulantes sophistae tradebant in scriptis doctri-
 nantur in scholis: a quibus toto caelo, ac latiore
 etiam intervallo, dogmata distant quae ab Aquinate
 de principio individuationis tradita sunt. Illa vero,
 non ista, ferit Stephani Parisiensis Episcopi censura.

II. Ad Angelorum, « quae intelligentiae separatae
 passim appellantur, praesentiam localem theses per-
 tinent quae sequuntur. Hujusce praesentiae fun-
 damentum proximum, ut ajunt, docet Aquinas re-
 ponendum esse in ipsa eorum operatione a sub-
 stantia distincta: quod reprehensione dignum, et
 censura Parisiensi damnum, aemulis quibusdam
 visum. Rem hanc diligentiore opera expendamus.

Ex Censura Parisiensi. Ex S. Thomae P. 1.
 Qu. 32, Art. 1.

77. « Quod si esset ali-
 « qua substantia separata
 « quae non moveret ali-
 « quod corpus in hoc mun-
 « do sensibili, non clau-
 « deretur in universo. »
 204. « Quod substan-
 « tia separatae sunt a-
 « licubi per operationem:
 « et quod non possunt
 « moveri ab extremo in
 « extremum, et in me-
 « dio, nisi quia possunt
 « velle operari aut in me-
 « dio, aut in extremis. »
 218. « Quod intelligen-
 « tia, Angelus, vel anima
 « separata nusquam est. »
 219. « Quod substan-
 « tia separatae nusquam
 « sunt secundum sub-
 « stantiam. »

Dicendum, quod
 « Angelis convenit esse
 « in loco. Aequivoce ta-
 « men dicitur Angelus
 « esse in loco, et corpus.
 « Corpus enim est in loco
 « per hoc quod applica-
 « tur loco secundum con-
 « tactum dimensionum quan-
 « titatis: quae quidem in
 « Angelis non est, sed est
 « in eis quantitas vir-
 « tualis. Per applicatio-
 « nem igitur virtutis an-
 « gelicae ad aliquem lo-
 « cum qualitercumque di-
 « citur Angelus esse in
 « loco corporeo.

ANIMADVERSIONES.

1. Postremi duo recensiti articuli pugnant ex
 diametro contra Sancti Thomae doctrinam. Decernit
 iste, « quod Angelis convenit esse in loco: » in
 illis adseritur, « intelligentias, Angelos, animas se-
 « paratas, » aut absolute et universim « nusquam
 « esse, » aut eas « nusquam esse secundum sub-
 « stantiam. » Articulorum sensum nitide explanat
 Aquinas, eubantemque errorem divinae fidei ad-
 versum detegit in I, Dist. 37, quaest. 5, Art. 1:
 « Opinio est Philosophorum, iniquentis, quod in-
 « telligentiae vel Angeli nullo modo sunt in loco.
 « Ponunt enim, quod intelligentia est quaedam es-
 « sentia denudata a materia, et ab omnibus con-
 « ditionibus materialibus; et quod intelligentia mo-
 « vet orbem per animam ejus, conjunctam ipsi

« orbi Et ideo nullam applicationem ad cor-
 « pus vel ad locum habet, quia non immediate
 « operatur circa aliquod corpus. Haec autem o-
 « pinio haeretica est, quia secundum fidem nostram
 « ponimus, Angelos immediate circa nos operari. »

2. Praesentiae localis Angelorum comparatione
 cum modo facta, quo corpora sunt in loco, theo-
 logicum aut philosophicum dogma Thomae est;
 « aequivoce dici Angelum esse in loco, et corpus. »
 Solidissimam hanc liceat paulo uberius explanare
 doctrinam. Loci notio, quae ad praesentem de
 Angelorum in loco existentia questionem pertinet,
 non ea intelligitur, quam recentes plerique, inepte
 sane, eandem faciunt cum Dei immensitate, tam
 intra, quam extra mundi universitatem, virtualibus
 quibusdam quodammodo partibus diffusa. Neque
 rursum intelligi locus debet, quem alii in re qua-
 piam constituunt, quae neque spiritus est, neque
 corpus, extensa, penetrabilis, infinita, aeterna, inde-
 pendente. Hujusmodi loci notiones neque thesium
 damnatarum adsertores, neque Sanctus Thomas,
 ceterique Philosophiae Aristotelicae addicti, aut sibi
 finxerunt animo, aut unquam admiserunt: easdemque
 septas difficultatibus « inextricabilibus » adnotat
 Wolffius in Theologia Naturali P. 1, §. DCCXII; et
 ipse Petrus Baelius in Dictionario Historico Critico
 in Notis ad Articulum « Zenonis. » Locum illi ac-
 ceptabant, qui proprie spectat ad corpora extensa,
 quo videlicet corpus alterum ita continetur et cir-
 cumseribitur superficie alterius corporis, ut totum
 toti commensuratur, et partes respondeant partibus.
 Paulo diversam non praetermittit opinionem, quae
 frequentius aridit assellis Renati Cartesii: quibus
 nimirum id esse in loco dicitur, quod certam ac
 determinatam spatii partem implet: ipsi sumque spa-
 tium nil aliud est, praeter ipsum corpus extensum,
 quod extat in re, ejusque extensionem abstracte
 conceptam in mente. Stephanum Cavinum consule
 in Lexico Philosophico secundis curis recognito et
 castigato. Hocce de loco instituta quaestione, sen-
 tentia est Thomae Aquinatis: « Angelis convenire
 « esse in loco, » quod articulus damnatis adver-
 satur; sed « aequivoce dici Angelum esse in loco,
 « et corpus, » quod est sapientissime animadver-
 sum. Quomodo enim eadem ratione corpus et spiri-
 tus, extensum et indivisibile, quae toto genere
 differunt, in loco fuerint? Hinc duplicem existendi
 in loco modum Scholae distinguunt; « circumscrip-
 tive, ut ajunt, et « definitivae: » quo posteriore
 modo inquit se sistere Angelos determinato loco
 vel spatio praesentes, ut alteri simul spatio vel loco
 non adsint; quin loco tamen continentur, aut cum
 extenso spatio commensurentur. Quod verbis de-
 mum immutatis diserim amplectitur Wolffius, cor-
 pora iniquentis esse « in loco, » Angelos « ut in
 « loco: » ac utrumque diversum modum ab Aquina-
 te sapienter discretum adnotat « pro acuminem
 « singulari quo pollebat in perlustrandis rationibus
 « confusus. » Vide memoratam Theologiae natu-
 ralis partem primam §. MXLII et MXLIV.

5. Nondum vero soluta et expedita est diffi-
 cultas omnis. Fundamentum illud ad examen vo-
 cat Aquinas, quo proxime Angeli definiuntur loco,
 sive quo praesentes determinato spatio se sistunt.
 Ait ille, substantiam Angelorum loco definiri, aut
 definito quidem spatio praesentem sibi: verum id
 non aliqua perfecti ratione quae ipsam eorum sub-
 stantiam afficiat, sed « quantitate virtuali, » quae

in « applicatione virtutis, » vel in « operatione » consistit circa loca vel spatia. Veteres Patres, qui hoc praesentiae Angelicae ipsissimum fundamentum illustrant, bene multos profertur Potavius libro 1 de Angelis, et Thomasinus lib. 6 de Theologicis Dogmatibus, alique Theologi. An ergo opinionem hanc, quam vetusti Ecclesiae Patres tradiderunt, quam amplexus est vulgavitque in Scholis Aquinas, censoria virgula notare voluerit Stephanus Tempier, Episcopus Parisiensis? Mentem suam longe dissitam aperit ipse, vel potius mentem ejus aperit Thesium damnatarum Collector in Articulo 219, ubi haec adjecta verba leguntur apud Dargentraeam, aliosque Collectores: « Error, si intelligatur ita, quod substantia non sit in loco. Si autem intelligatur, quod substantia sit ratio essendi in loco; verum est, quod nusquam est secundum substantiam. » Non aliud Parisiensis Antistiti consilium insidisse, testis probatissimus adest Henricus de Gandavo, qui negotio interfuit. Verba ejus accipe, quae habentur Quodlib. 2, Quaest. 9: « Bene dicit unus articulus ab Episcopo damnatus: quod substantiae separatae nusquam sunt secundum substantiam; error, si intelligatur ita quod substantia non sit in loco: si autem ita, quod substantia non sit ratio essendi in loco, verum est quod nusquam sunt secundum substantiam. . . . In hoc enim concordabant omnes Magistri Theologiae congregati super hoc, quorum ego eram unus: unanimiter concedentes, quod substantia Angeli non est ratio, Angelum esse in loco secundum substantiam. » Multiplici pravo sensu articuli damnati scitent. Alterum detegit Sanctus Thomas verbis prima in animadversione adlatis: produnt alterum Stephanus Tempier, et Henricus de Gandavo. Adeo scilicet petulantia ingenia delirabant, ut Angeli « substantiam nusquam esse » propugnarent, propter quod non ipsa substantia, sed operatio ad loca et spatia mundi sensibilis adplicaretur. Immo sana, solida et probata Aquinatis doctrina est, operationem Angelorum illud esse fundamentum proximum, quamobrem ipsi eorumque substantia sint in loco.

4. Animadversione dignus est articulus 77. « Quod si esset aliqua substantia separata, quae non moveret aliquid corpus in hoc mundo sensibili, non clauderetur in universo: » ubi substantiae separatae operatio circa loca ad unam illam coaretatur efficientiam, quae motum, scilicet localem, corporibus imprimit. Non ita Doctor Angelicus, qui in I, Dist. 57, Quaest. 5, Art. 1, operationem Angelicam statuit causantem « vel motum, vel lumen, » vel aliquid hujusmodi. « Ampliorem operationis hujusmodi notionem tradere videtur et explanare Quodlib. 1, Art. 4. « Si quis velit, inquires, virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod operari est proprius effectus virtutis; dicatur, quod Angelus est in loco per operationem, » ita tamen quod per operationem non intelligatur « sola motio (damnatus articulus innuitur rejicitur) sed quaecumque unio, qua sua virtute se corpori unit, praesidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo. » Pro hac amplitudine operationis Angelicae, sive quae exteriorem effectum producit, sive quae Angelum peculiari quadam imperii practici directione, quocumque demum explicetur modo, ad hujus universi corpora, ad loca, ad spatia, absque ullo effectu exteriore, adplicat, stat Dominicus Bannez in Commentario, ubi sic

ait: « In hac opinione, nomine « operationis » non intelligunt tantum motum aliquem realem receptum in corpore, sive mutationem aliquam; sed quemlibet etiam mutationem Angelicae virtutis, qui se habet per modum operationis et actus secundi v. g. quia Angelus « praesidet tali loco, quia custodit, quia continet et defendit; » ut si detineret lapidem in sublimi, diceretur esse « in lapide, et tamen nullam mutationem realem « exerceret circa lapidem ». Has ego Doctorum opiniones in medio relinquo. Colligendum vero 1, operationem, quam constituit Thomas rationem proximam ut Angeli definiantur loco, latiore esse mutatione dumtaxat locali, quam thesium damnatarum adsertores unum enunciant. Colligendum 2, haud Angelis potestatem inesse ut sint ubique, vel se ad omnia spatia aut loca sistant praesentes: propterea quod eorum operatio, quam « virtualiter « transeuntem » vocant, sive quae motum aut mutationem infert, sive quae in actuali praesentia, custodia, defensione, detentione, aut simili quopiam modo consistit; limites habet intra certam ac definitam quodammodo sphaeram. Hinc fortasse rejicienda omnino videtur nonnullorum, qui Cartesiani audiunt, opinatio, quae statuit, Angelos loco vel spatio sola eorum « cogitatione » sibi praesentes, et adesse.

5. Verba sunt Divi Thomae in I, Dist. 57, Quaest. 5, Art. 1, ad 4. « Non reputo inconveniens, quod Angelus sine loco possit esse, et non in loco (leg. et possit non esse in loco) « quando nullam operationem circa locum habet. » Nec est inconveniens, ut tunc nusquam vel in nullo loco esse dicatur: sicut etiam non est inconveniens, quod nullo colore coloratus dicitur. Sed hoc tamen non est imaginabile (seu nostrae imaginationis vim excedit); quia imaginatio « continuum (et sensibilia) non transeunt. » Cur enim loco et spatio, quae ad extensa corpora pertinent, obnoxii fuerint Angeli, qui corpore, et partibus, et conditionibus materialibus carent? Angelum velle obnoxium loco, perinde foret ac ipsum aliquo velle « colore coloratum. » Quod si ergo « nullam operationem circa locum » habeant Angeli; miratio subeat nulla, si « nusquam, vel in nullo esse loco dicantur ». An ergo inde exculpatis, « non eos in universo claudi? » Insanum consecretarium est, quod in articulo damnato elicitur: a quo longe abhorret Sanctus Thomas. Annuit ille, non operantes Angelos non claudi universo, vel aliqua universi parte, tanquam loco: simulque docet claudi universo, seu ad universum pertinere tanquam partes, quae cum sint spirituales et inextensae, loci extensi necessitate ac lege debent esse immunes. Verum, tametsi denique « nihil prohibeat, Angelos non esse in loco si voluerint: » (verba sunt Doctoris Angelici Quaest. 5 de Potent., Art. 19, ad 2) « semper tamen sunt in loco propter ordinem quo creatura spiritalis praesidet corporali, secundum Augustinum, libro 5 de Trinitate, capite 3. » Haec sunt innoxiae Thomisticae doctrinae dogmata.

6. Theologorum plerique illud etiam in damnatis articulis dignum reprehensione existimant, quod in eisdem duplicis Angelorum loci praetermissa aut rejecta notio videtur: alterius « connaturalis », ad quem per operationem pro liberi arbitrii nutu sese adplicat ac sistunt praesentes Angeli: et

« violenti » alterius, cui possibilibus divinae omnipotentiae modis alligantur daemones, damnataeque spiritus. In illo fundamentum localis praesentiae est operatio: in isto videtur passio, quam silentio premunt, aut rejectam indicant damnatarum articulorum Auctores.

7. Commenta jam plura innotescunt, in ea Philosophorum, seu Theologorum controversia, quae de locali Angelorum praesentia agitari solet, ab imperitis hominibus excogitata, a Sancto Thoma convulsa, ac Parisiensis demum censurae decreto damnata. Haec vitis immunitis, cortice tenui, videtur articulus 104. « Quod substantiae separatae sunt alicubi per operationem, et quod non possunt moveri ab extremo in extremum, et in medio, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremis ». Sub sano utique cortice caries et putredo lateat. Unam scilicet Adsertores articuli « operationem » intelligebant, quae « motum localem » infert, ut superius num. 4, adnotavimus: vel ita loco adesse Angelum operantem constitebant, ut « operatio » quidem loco definita foret, loco tamen prorsus immunitis Angeli « substantia » persisteret, et « nusquam esset », ut num. 5 observatum est. Quae cum ita se habeant, nimia certe confidentia illos egisse constat qui Parisiensem Stephani Tempier censuram adhibere, ut in invidiam innoxia quaedam theologia aut philosophia ab Aquinate tradita documenta traderent, Steterunt in Censurae cortice, pravo penitioris sensu neglecto, vel astute praetermisso.

III. Quid vero tam integrum fuerit, et innoxium et candidum, in quo lividus oculus vitia, naevos, sordisque non videat? Praejudicis oecupatae mentis allucinaciones haecenus non paucas animadvertimus: sed alia praesto sunt exempla.

Ex Censura Parisiensi. Ex Sancto Thoma P. 1, Quaest. 85, Art. 7.

124. « Quod inconveniens est, ponere aliquos intellectus nobiliores alii: quia cum ista diversitas non possit esse a parte corporum, oportet quod sit a parte intelligentiarum; et sic animae nobiles et ignobiles essent necessario diversarum specierum, sicut intelligentiae. Error: quia sic anima Christi non esset nobilior anima Judae. » Dicendum, quod unus alio potest eandem rem melius intelligere, quia est melioris virtutis in intelligendo. Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter. Uno quidem modo ex parte intellectus, qui est perfectior. Manifestum est enim quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam; quod manifeste apparet in his quae sunt secundum speciem diversa. Cujus ratio est, quia actus et forma recipitur materiae capacitate: unde cum etiam in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortuntur animam majoris virtutis in intelligendo. Alio modo contingit hoc

187. Quod nos pejus « ex parte inferiorum virtutis aut melius intelligimus, » tutum, quibus intellectus hoc provenit ab intellectu passivo. Quem perationem: illi enim in dicit esse potentiam, quibus virtus imaginativa et cogitativa et hoc ponit unum intellectum memorativa est melius lectum in omnibus, et disposita, sunt melius aequalitatem in omnibus animabus. » dum. »

ANIMADVERSIONES

1. Pugna est manifesta Thomae doctrinam inter, et Articulum 124. In isto veluti « inconveniens » adseritur « quod aliqui ponunt intellectus nobiliores alii: » Thomae vero sententia est, « unum intellectum melioris esse virtutis posse » prae alio « in intelligendo », ac inter homines « meliorem » sortiri « aliquos » animam, et majoris virtutis. Damnatus articulus inficiatur, « hanc » nobilitatis « diversitatem » deponi posse « a parte corporum: » immo vero docet Aquinas, « quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortiri animam. » In eodem articulo impossibile enunciat praefatum nobilitatis discrimen, quin simul « animarum, quae nobiles et ignobiles essent, diversae » constituantur species: praeter nobilitatem ex diversitate speciei ortam in Angelis, majorem statuit Doctor Angelicus minorumque animalium rationalium perfectionem, ex principio individuationis desumptam; « ex corpore » scilicet « melius disposito: » quod ille confirmat disertissimis verbis ad 3: « Dicendum, inquires, quod differentia formae, quae non provenit nisi ex diversa dispositione materiae, non facit diversitatem secundum speciem, sed solum secundum numerum: » unde quae inde profuit ejusdem formae perfectio, non est specifica, sed conditio individualis. Bene et optime cohaerent omnia in vulgato Philosophiae systemate, in quo rationalis animus aut mens ita corpori organico praesidet, ut ejusdem forma etiam substantialis, et actus, et intima entelechia habeatur.

2. Adhuc alia patet origo, ex qua diversa, auctore Thoma, exoriri virtus et perfectio potest « in intelligendo ». Verba ejus sunt. « Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget (in hoc statu unionis) ad sui operationem. Illi enim in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum. » Hujus originis mentio nulla in Articulo 124, ubi « intellectus nobiliores alii, » quod attinet ad rationales animos hominum, universum pernequnt: eademque profertur una in articulo 187, ubi « potentiam sensitivam » scite adnotat Auctor censurae, vocari « intellectum passivum. » Originem utramque pro suo ingenii acumine conjungit Sanctus Thomas, ac utramque sapientissime illustrat.

3. Sed Averroisticam denique labem, qua idem articulus inficitur adjecta Censuris, vel Collectoris verba denunciant: « error, inquires, quia hoc « ponit unum intellectum in omnibus. » Anima intellectiva rejecta, hominem compingebat Averroes ex corpore, et anima sensitiva, eademque mortali, tribus facultatibus praedita, scilicet « cogitativa sed « phantasia; aestimatrix et memoria: » quas in homine ob majorem prae anima brutorum perfe-

tionem, vocabat « rationem particularem, et intellectum passivum. » Addebat, « intellectum a gentem, » (inter separatas intelligentias infimam), immortalem, aeternam, hominibus adstantem, non multiplicem pro singulis eorum, sed unum in omnibus, proque diversa potentiae sensitivae conditione diversimode participatum. Consule Jacobum Bruckerum in Historia Critica Philosophiae, Tomo III. Impia et absurda doctrina haec maxime invaluerat inter sciolos ac vanos Academicos, quorum articuli censura Parisiensi notati aut ipsam involvunt et latenter significant, aut efferunt apertissime. Illiusmodi sunt: 117. « Scientia Magistri et Discipuli est una numero: ratio autem, quod intellectus sit unus . . . 121. Intellectus, qui est ultima hominis perfectio, est penitus abstractus. 125. Intellectus speculativus simpliciter est aeternus et incorruptibilis: respectu vero huius hominis corrumpitur, corruptis phantasmatibus; » per quae scilicet, veluti per instrumenta, agere aut intelligere dicebatur intellectus agens. Comento putidissimo adversa sunt ex diametro Sancti Thomae dogmata: tot rationales individuali differentia animos distingui, quot homines numeramus: iuxta numerum rationalium animorum ipsum etiam multiplicari intellectum, tum agentem, tum possibilem, ut aevo illo distinguebant et loquebantur: praeter specificam animorum et intellectuum nobilitatem, quae singulis communis est, gradus alios modoque perfectionis distingui oportere. « in intelligendo: » quorum alii originem habent a phantasmatibus, et alii ex ipso promanant individuationis principio. Hinc solida ratio patet, qua permoti Viri Doctissimi contendunt, non illud Stephano Tempier Episcopo Parisiensi consilium inesse potuisse, quod ipsi tribuunt aemuli Sancti Thomae, ut quas theses docuit Aquinas, vulgavitque in scholis, tametsi damnatis articulis fortasse consonae verbis tenus viderentur, sua notare censura voluerit. Successoris etiam Stephani de Bourretto prudentia maxime elucet, qui censuram Decessoris eo adhibito temperamento abrogandam abolendamque declaravit: « quatenus » videlicet « tangebatur, » aut potius « tangere aderebatur » sanam doctrinam Sancti Thomae. » Impudens fuerat vanorum hominum factus, qui Averroisticos aliosque errores facilius ut propinarent, sub innoxiae doctrinae, quam Aquinas et Magistri apprimae catholici tradiderunt, cortice tectos palliatosque vulgabant.

CAPUT III.

Roberti de Kildwardbi, et Joannis Pekami, Archiepiscoporum Cantuariensium, censura in thesim de una in homine forma substantiali. Refellitur.

I. Philosophicae, cum cisque connexae quaedam occurrunt, a Divo Thoma propugnatae theses, quas censoria virgula, dubio procul omni, iuxta ipsius Thomae sensum notarum Archiepiscopi duo Cantuarienses in Anglia, Robertus de Kildwardbi Ordinis Praedicatorum, et Joannes Pekamus ex Ordine Minorum adsumptus. In ea, quam tulit Kildwardbius, censura legitur Capite 5, num. 12, apud Carolum Duplessis d'Argentré saepe laudatum: « Item quod vegetativa, sensitiva, et intellectiva sunt una forma simplex, » vel « simpliciter: » nimirum in homine. Thesis est in Decreto Pekami

confixa anno 1286, num. 8. « Quod in homine est tantum una forma: scilicet anima rationalis: et nulla alia forma substantialis. » Hanc germanam esse doctrinam Sancti Thomae, quam Parisiis eorum palamque in scholis tradidit, scriptamque suis passim in Operibus reliquit, dubium nullum est. An eadem ergo pro damnato errore haberi debeat?

Nolim ego prolixam de philosophica thesi questionem instituire, veterem ac recentium Philosophorum hac de re placita enarrare, ac diligentius inquirere in illos unionis mentis cum corpore modos, qui multiplices exogitati sunt. In ea versatur Aquinas verissima sententia, quae rationalem animam seu mentem inflectibatur, vel motorem esse praesidentem corpori veluti machinae mutae, ut aiebat Plato, vel separatam intelligentiam corpori adstantem, excipientemque phantasmatum, ut Averroes inquiebat. Consule caput 57 et sequentia libri recendi contra Gentiles. Aderebat vero rationale eandem animam facultate intelligendi praeditam, esse veram corporis formam, unam cum corpore efficientem substantiam: quod ex ponebat ratione, quae ceteris ejus aevi Magistri communis erat. Dissidium fervebat, dum una foret in homine huiusmodi forma substantialis, ex qua omnes proficerentur energiae, vita, sensus, intellectus: an totidem multiplicari substantiales formas oporteret, quot illae sunt praefatae energiae? Partem priorem amplexus est Aquinas, ab eaque discessit nunquam: solidumque causae, quam tubatur, praesidium in eo positum erat, quod ultro ejus aetatis Doctores admittebant, mentem esse veram corporis formam, ac totius compositi partem.

Ac sane invidiam, quam praedictae opinioni inferre conabantur nonnulli, amolitur omnem prudentissimum iudicium, quod illa etiam actate Doctissimi Viri de praedictae censurae et levitate et excessu tulerunt. Plura jam dedimus haec de re in Dissertatione XXV. Kildwardbium Archiepiscopum Cantuariensem gravissimis datis litteris insequutus est Guillelmus de Morbekia Archiepiscopus Corinthii: praecipitemque latam ab ipso in theses, aut innoxias et probabiles, aut etiam verissimas, censuram contendi. Testatur Guillelmus Ochamus in Dialogis P. I, lib. II, Cap. 24, « plures alios ipsam » (Kildwardbii), damnationem putasse temerariam: « pluresque Parisienses Doctores et scholares asseriones damnatas a dicto Archiepiscopo publice tenuisse. »

Godefridus de Fontibus clarissimum in Parisiensi Universitate lumen, latissimum instituit Quod. 5, Art. 5, tractationem de thesi illa, quae in Decreto alterius Archiepiscopi Cantuariensis, Joannis Pekami, damnata legitur. Damnationis causas perquirat ac patefacit, quae videntur esse consecraria quaedam inde deducta: « Quod » scilicet « corpus Christi, vel alterius hominis, quantum ad formam, sit aliud vivum, et mortuum: vel divisum, » non idem numero. » Haec porro efferunt consecraria in septem prioribus articulis a Pekamo damnatis. Quatenus mens esset Godefridi, quatenus Parisiensium Doctorem, ipse aperit Godefridus loco citato: « Parisiis, inquit, non reputatur consequens vel antecedens continere errorem, » qui censoria virgula configi debeat. Immo testatur: « Multos Magistros in Theologia nuper scripsisse: quod nesciunt, illum articulum (de una forma in homine) ex quo omnes alii articuli sequuntur,

esse habitum pro haeresi, vel errore. Unde etiam nec Parisiis habetur pro errore « Quod Corpus Christi, vel alterius hominis, quantum ad formam, sit aliud vivum, et aliud mortuum, vel divisum: » licet esset error ponere « de Corpore Christi, quod non sit idem, quantum ad suppositum, vivum et mortuum; » in quo non est simile in aliis hominibus. » Palam est, Anglicanam Pekami censuram vix agnitam fuisse Parisiis, ipsamque insuper habitam contemptamque.

II. Verum impactos demum errores praecoccupaverat Sanctus Thomas, profligavitque tum junior in Quodlibetis, tum aetate ac sapientia proventus in Summa Theologica. Verba refero quae habentur Quodl. 2, Art. 4. « De Christo in triduo mortis » dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum ad hypostasim vel personam: et sic est idem numero simpliciter, qui fuit. Aut quantum ad naturam humanam: et hoc dupliciter. Uno modo, quantum ad totam naturam, quae humanitas dicitur: et sic Christus non fuit homo in triduo mortis: unde nec idem homo, sed eadem hypostasis. Aut quantum ad partem humanae naturae: et sic anima quidem fuit omnino eadem numero, eo quod non est transmutata secundum substantiam: corpus vero idem numero secundum materiam, sed non secundum formam substantialem, quae est anima. Unde non potest dici quod simpliciter fuerit idem numero, quia quaelibet differentia substantialis excludit idem simpliciter. » Postremam istam sententiam partem magis illustrat Doctor Angelicus in Summa Theologiae P. 3, Quaest. 1, Art. 3, ipsamque sententiam tenet ac vindicat: « Dicendum, inquit, quod hoc quod dico simpliciter, potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod simpliciter idem est quod

absolute: sicut simpliciter dicitur quod nullo addito dicitur. Et hoc modo Corpus Christi mortuum et vivum simpliciter fuit idem numero: dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est supposito idem. . . . Alio modo simpliciter idem est, quod omnino vel totaliter: et sic Corpus Christi mortuum et vivum non fuit simpliciter idem numero, quia non fuit totaliter idem, cum vita sit aliquid de essentia corporis viventis etc. »

Hinc latissimum quod inter Corpus Christi vivum et mortuum, ac inter vivum et mortuum alterius hominis corpus, versatur discrimen, loco citato explanat Aquinas ad 1: « Quod corpus mortuum ejusque alterius hominis non remanet unitum alicui hypostasi permanenti, sicut Corpus Christi mortuum: et ideo corpus mortuum ejusque alterius hominis non est idem simpliciter, sed secundum quid: quia est idem secundum materiam, non autem idem secundum formam. » Amplioribus vindictis doctrina Aquinatis non eget: ipsumque demum, quod ad sanctorum reliquias attinet, ex quibus objectionem promunt Adversarii, consule in eadem tertia parte, Q. 25, Art. 6, ad 3, sic disserentem: « Corpus mortuum alicujus Sancti non est idem numero quod primo fuit dum viveret, propter diversitatem formae, quae est anima: est tamen idem identitate materiae, quae est iterum suae formae orienda. » Subtiliorem quamdam addeunt discipuli Sancti Thomae questionem de quantitate, an eadem remaneat in corpore vivo et mortuo: qua de re vide Liberium a Jesu Carmelitam exalecatum, in Controversiis Dogmaticis Tomo 1, Parte 5, Disp. 4, Controv. 14, num. 77.

DISSERTATIO IV.

DE VANA AC INJUSTA CORRUPTI OPERUM SANCTI THOMAE AQUINATIS TEXTUS SUSPICIONE, PER INVECTAS AUT FALSAS, AUT ALIENAS A COMMUNI SENSO, AUT DAMNATAS OPINIONES.

CAPUT I.

Jo. Baptistae Pozae iudicium refutatur, de nonnullis Thesisibus, quae in Sancti Thomae Aquinatis Operibus habentur, ac censura dignae judicantur. Catholica fides de uno in Sanctissima Trinitate, vel duobus Spiritoribus, Varia Aquinatis dicta, per sese innoxia, conciliantur. Critica Dionysii Petavii animadversio ad examen vocata.

I. Veteres ac recentiores plures insequuti sumus superioribus in Dissertationibus hostes, qui Theologiae nonnulla, ac etiam Philosophica, a Sancto Thoma Aquinate propugnata dogmata, aperto Marte oppugnarunt, eademque vel in suspicionem erroris adducere conati sunt, vel tamquam censorio Episcoporum et Magistrorum iudicio notata rejici oportere, jusserunt. Arma straminea, invalidos ietus, irritosque conatus colubimus. Novum genus pugnae Jo. Baptista Poza in suo Elucidario molitus S. Th. Opera omnia. V. 7.

est: bellumque non indicit Sancto Thoma, sed codicum Thomae corruptoribus. Fatetur ille apud Joannem a Sancto Thoma, Disp. 2, de Approbatione doctrinae ejusdem Angelici Praeceptoris, Art. 1, « nullam propositionem damnatam e calamo et mente Sancti Thomae excidisse: si qua est, a tempore; ab Amanuensibus, a Typographis inventa esse: nolle se iudicium ferre, an omnes istae propositiones mereantur censuram, et quam: se tamen nihil sinistrum in Operibus ejus, nisi ex depravatione Codicum admittere. »

Pozae itaque si credimus, prostant in Operibus Thomae tum manu exaratis, tum prelo editis theses non paucae, quae damnatae, vel censura dignae videri possint. Quisque colligeret, traditas eas ab Auctore fuisse, decepto, vel errante. Non ita iudicium ferendum admoenit ille, cum temporis lapsu, Amanuensium imperitia, oscitantia Typothetarum, codicum certe depravatione, damnata illa, aut damnanda, aut aliena a communi sensu Doctorem, irreperere dogmata poterint. Si bella